



Commune Sanctae Martiris tantum,  
et nec Virginis nec Martyris.

IN I. VESPERIS.

**Antiphonae.**

**R**ex UM esset Rex \*  
in accubitu suo,  
nardus mea de-  
dit odorem  
suavitatis. Psalmi ut su-  
pra pro Virginibus. [122]

2. In odorem \* unguen-  
torum tuorum currimus,  
adolescéntulae dilexerunt  
te nimis.

3. Jam hiems tránsiit, \*  
imber ábiit, et recéssit :  
surge amíca mea, et veni.

4. Veni elécta mea, \* et  
ponam in te thronum  
meum, allelúia.

5. Ista est speciósa \* in-  
ter filias Jerúsalem.

**Pro Martyre tantum.**

**Capitulum.**

Eccli. ij.

**C**onfitebor tibi Dó-  
mine Rex, et col-  
laudábo te Deum  
Salvatórem meum. Con-

fitébor nómini tuo : quó-  
niam adjútor et protéctor  
factus es mihi, et liberá-  
sti corpus meum a perdi-  
tione.

**Pro nec Virg. nec Mart.**

**Capitulum.** Prov. xxxj. b

**U**lserem fortem  
quis invéniet? pro-  
cul, et de últimis  
finibus prétium ejus. Con-  
fidit in ea cor viri sui, et  
spóliis non indigébit.

**Hymnus.**

**F**ortem virili pectore  
Laudémus omnes fé-  
minam,

Quæ sanctitatis glória  
Ubique fulget ínclita.

Hæc sancto amore sáu-  
cia,

Dum mundi amorem nó-  
xium

Horréscit, ad cœlestia  
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,  
Dulcique mentem pábulo  
Oratiónis nútriens,  
Cœli potitur gáudiis.

**R**ex Christe virtus fór-  
tium,

Qui magna solus éfficis,  
Hujus precátu, quæsu-  
mus,

Audi benignus súpli-  
ces.

Deo Patri sit glória,  
Ejúsque soli Fílio,  
Cum Spíritu Paráclito,  
Nunc, et per omne sæcu-  
lum. Amen.

**V.** Spécie tua et pulchri-  
túdine tua. **R.** Inténde,  
próspere procéde, et re-  
gna.

**Ad Magnif. Añã.** Símile  
est regnum cœlórum \*  
hómíni negotiátóri quæ-  
rénti bonas margaritas :  
invénta una pretiósa, de-  
dit ómnia sua, et compa-  
rávit eam.

**Pro una Martyre tantum.**

**Oratio.**

**D**eus, qui inter cétera  
poténtiæ tuæ mirá-  
cula étiam in sexu frágili  
victóriam martyrii con-  
tulisti : concéde propítius,  
ut qui beátæ **N.** Mátyris  
tuæ natalítia cólimus, per  
ejsu ad te exémpla gra-  
diámur. Per Dóminum no-  
strum.

**Pro plur. Mart. tantum.**

**Oratio.**

**D**A nobis, quæsumus  
Dómine Deus noster,  
sanctárum Mátyrum tuá-  
rum **N.** et **N.** palmas in-  
cessábili devotióne vene-  
rári : ut quas digna  
mente non póssumus ce-  
lebráre, humilibus saltem  
frequentémus obséquiiis.  
Per Dóminum.

**Pro nec Virg. nec Mart.**

**Oratio.**

**E**Xáudi nos Deus salu-  
táris noster : ut sicut  
de beátæ **N.** festivitáte  
gaudémus, ita piæ devo-  
tiónis erudiámur afféctu.  
Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

**Invit.** Laudémus Deum  
nostrum, \* In confessiône  
beátæ **N.**

**Ps.** Veníte, exsultémus. 2.

**Hymnus.**

**H**ujus orátu Deus alme  
nobis  
Débitas pœnas scélerum  
remitte ;  
Ut tibi puro resonémus  
almum

Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque

Proli,

Et tibi compar utriúsque  
virtus

Spiritus semper, Deus  
unus omni

Témporis ævo.

Amen.

In I. Nocturno.

**Añã.** O quam pulchra \*  
est casta generatio cum  
claritate!

**Psalmus viij.**

**Q**uoniam Dominus nos-  
ter, \* quam admi-  
rabile est nomen  
tuum in univèrsa terra!

Quoniam elevata est ma-  
gnificèntia tua, \* super  
coelos.

Ex ore infántium et lac-  
tèntium perfecisti lau-  
dem propter inimicos  
tuos, \* ut destruas inimi-  
cum et ultorem.

Quoniam vidèbo coelos  
tuos, ópera digitorum tuó-  
rum : \* lunam et stellas,  
quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod me-  
mor es ejus? \* aut filius  
hóminis, quoniam visitas  
eum?

Minuísti eum paulo mi-  
nus ab Angelis, glória et  
honóre coronásti eum : \*  
et constituísti eum super  
ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pé-  
dibus ejus, \* oves et boves  
univèrsas : insuper et pé-  
cora campi.

Vólucres cœli, et pisces

maris, \* qui perámbulant  
sémitas maris.

Dómine Dóminus nos-  
ter, \* quam admirabile  
est nomen tuum in uni-  
vèrsa terra!

**Añã.** O quam pulchra est  
casta generatio cum cla-  
ritate!

**Añã.** Læva ejus \* sub  
cápite meo, et dèxtera  
illius amplexábitur me.

**Psalmus xvij.**

**C**œli enarrant glóriam  
Dei, \* et ópera má-  
nuum ejus annúntiat fir-  
maméntum.

Dies dièi erúctat ver-  
bum, \* et nox nocti índi-  
cat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque  
sermónes, \* quorum non  
audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit  
sonus eórum : \* et in fines  
orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernácu-  
lum suum : \* et ipse tam-  
quam sponsus procedens  
de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad  
curréndam viam, \* a sum-  
mo cœlo egressio ejus :

Et occúrsus ejus usque  
ad summum ejus : \* nec  
est qui se abscondat a  
calóre ejus.

Lex Dómini immaculá-  
ta convértens ánimas : \*

testimónium Dómini fidé-  
le, sapiéntiam præstans  
párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ,  
lætificántes corda : \* præ-  
cèptum Dómini lícidum,  
illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus,  
pèrmanens in sæculum  
sæculi : \* júdicia Dómini  
vera, justificata in semet-  
ípsa.

Desiderabilia super au-  
rum et lápidem pretiósium  
multum : \* et dulcióra  
super mel et favum.

Etenim servus tuus cu-  
stódit ea, \* in custodién-  
dis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit?  
ab occúltis meis munda  
me : \* et ab aliénis parce  
servo tuo.

Si mei non fúerint domi-  
nátí, tunc immaculátus  
ero : \* et emundábor a de-  
licto máximo.

Et erunt ut compláceant  
elóquia oris mei : \* et me-  
ditatio cordis mei in con-  
spèctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, \*  
et redemptor meus.

**Añã.** Læva ejus sub cá-  
pite meo, et dèxtera illius  
amplexábitur me.

**Añã.** Revértere, \* revér-  
tere Sunamítis : revértere,  
revértere, ut intueámur te.

**Psalmus xxij.**

**D**omini est terra, et  
plenitúdo ejus : \* or-  
bis terrárum, et univèrsi  
qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária  
fundávit eum : \* et super  
flúmina præparávit eum.  
Quis ascéndet in montem  
Dómini? \* aut quis stabit  
in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et  
mundo corde, \* qui non  
accépit in vano ánimam  
suam, nec jurávit in dolo  
próximo suo.

Hic accípiet benedicti-  
onem a Dómino : \* et mi-  
sericórdiam a Deo salu-  
tári suo.

Hæc est generatio quæ-  
rèntium eum, \* quærén-  
tium facièm Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes  
vestras, et elevámini por-  
tæ æternáles : \* et intro-  
íbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex gló-  
riæ? \* Dóminus fortis et  
potens : Dóminus potens  
in prælio.

Attóllite portas príncipes  
vestras, et elevámini  
portæ æternáles : \* et in-  
troíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex gló-  
riæ? \* Dóminus virtútum  
ipse est Rex glóriæ.

**Añã.** Revértere, revér-

tere, Sunamitis: revértere, revértere, ut intueámur te.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prós pere procéde, et regna.

Pater noster. **Absolutio.** Exáudi Dómine. **V.** Jube domne. **Bened.** Benediccióne perpétua.

**Pro Martyre tantum, Lectiones.** Confitébor tibi.

et **R.** ut supra. [140]

**Pro nec Virgine nec Martyre, ut sequuntur.**

De parábolis Salomónis.

**Lectio j.** **Cap. xxxj. b**



Uliem fortem quis invéniet? procul, et de últimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit véneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

**R.** Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum: \* Quia concupívit Rex spécie tuam. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, prós pere procéde, et regna. — Quia.

**Bened.** Unigénitus Dei.

**Lectio ij.**

**G**ustávit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et digiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et cingulum trádidit Chananæo.

**R.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis: \* Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, prós pere procéde, et regna. — Proptérea.

**Benedictio.** Spíritus sancti grátia.

**Lectio iij.**

**F**ortitúdo et decor indumentum ejus, et ridébit in die novissimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiosa non comédit. Surrexérunt filii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlter timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

**R.** Spécie tua et pulchritúdine tua, \* Inténde, prós pere procéde, et regna. **V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. **Gloria.** Inténde.

**In II. Nocturno.**

**Aña.** Spécie tua \* et pulchritúdine tua, inténde, prós pere procéde, et regna.

**Psalmus pñv.**

**R**uctávit cor meum verbum bonum: \* dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, \* velóriter scribéntis.

Speciosus forma præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: \* proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accingere gládio tuo super femur tuum, \* potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua, \* inténde, prós pere procéde, et regna, Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, \* in corda inimicórum Regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: \* virga directiónis virga regni tui.

Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætitiæ pro consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cássia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrnis: \* ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto: \* circúmdata varietáte.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam : \* et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum : \* quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in munibus \* vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus, \* in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducuntur Regi virgines post eam : \* proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia et exultatione : \* adducuntur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : \* constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui \* in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum : \* et in saeculum saeculi.

**Añā.** Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.

**Añā.** Adjuvabit eam \* Deus vultu suo : Deus in

medio ejus, non commovebitur.

**Psalmus xlv.**

**D**eus noster refugium, et virtus : \* adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : \* et transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbatae sunt aquae eorum : \* conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei : \* sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus, in medio ejus, non commovebitur : \* adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt Gentes, et inclinata sunt regna : \* dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : \* susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram : \* auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma : \* et scuta comburent igni.

Vacate, et videte quomodo

niam ego sum Deus : \* exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : \* susceptor noster Deus Jacob.

**Añā.** Adjuvabiteam Deus vultu suo : Deus in medio ejus, non commovebitur.

**Añā.** Aquae multae \* non potuerunt extinguere caritatem.

**Psalmus xlvij.**

**M**agnus Dominus, et laudabilis nimis \* in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, \* latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, \* cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terrae congregati sunt : \* convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt : \* tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis, \* in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : \* Deus fundavit eam in aeternum.

Suscipimus Deus misericordiam tuam, \* in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae : \* justitia plena est dextera tua.

Laetetur mons Sion, et exultent filiae Judae, \* propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam : \* narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus : \* et distribuete domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi : \* ipse reget nos in saecula.

**Añā.** Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem.

**℟.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **℞.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

Pater noster. **Absolutio.** Ipsius pietas. **℟.** Jube domne. **Benedictio.** Deus Pater omnipotens.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Viduis.

**Lectio iv. Prope finem.**



Grum hunc Ecclesiae fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc vi-

duitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortorum lilia, quantae aristae segetum, messium spicae: compluriumque spatia camporum recipiendis aptantur seminibus, quam reddidis novales fructibus feriuntur. Bona ergo viduitas, quae toties apostolico iudicio praedicatur. Haec enim magistra fidei, magistra est castitatis.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et deducet.

**Bened.** Christus perpetuae.

**Lectio v.**

**U**nde et illi qui deorum suorum adulteria et probra venerantur celibatus et viduitatis statuere poenas, ut aemuli criminum mulctarent studia virtutum, specie quidem, qua fecunditatem quaererent, sed studio, quo propositum castitatis abolerent. Nam confectis

et miles stipendiis arma deponit, et relicto officio quod gererat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut et ipse exercitae laboribus vitae requiem consequatur: et alios spes futurae quietis subeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam alii stivam committit, et juvenili gravatus opere providentiam curae senilis explorat: vitem facilius tondere, quam premere, ut juvenescentem luxuriam reprimat, et adolescentem lasciviam falce succidat: parcorum quamdam partium castitatem docens etiam in vitibus exspectandam.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

**Bened.** Ignem sui amoris.

**Lectio vij.**

**S**imilis huic vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, et si conjugii arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat: et si vendendis oneribus otiosa,

maritandis tamen junioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior sit, quarum copulam aptiorem, senili gravitate disponit. Itaque si maturioribus quam junioribus committitur ager, cur putet utiliorem nuptam esse quam viduam? Quod si persecutores fidei persecutores fuerunt etiam viduitatis: utique fidem sequentibus viduitas non pro supplicio fugienda est, sed tenenda pro praemio.

**R.** Fallax gratia, et vana est pulchritudo: \* Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. — Mulier. Gloria Patri. Mulier.

**In III. Nocturno.**

**Añ.** Nigra sum, \* sed formosa, filiae Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

**Psalmus reb.**

**C**antate Domino canticum novum: \* cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: \* annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, \* in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: \* terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium daemonia: \* Dominus autem caelos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: \* sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferre Domino patriae Gentium, afferre Domino gloriam et honorem: \* afferre Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: \* adorare Dominum in atrio sancto ejus.

Commovetur a facie ejus universa terra: \* dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae qui non commovebitur: \* iudicabit populos in aequitate.

Laetentur caeli, et exsultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: \* gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: \*